

interitui proximior, eo magis innovatione indigere putavi, ut frugi patres familias in vetustis adiunctis edificiis facere consueverunt. Verum quia hujusmodi res tam excellentis glorie ac magnitudinis est, eam omnibus cognitam esse quammaxime opto. Quæ mihi causa fuit hæc memoranda scribendi, ut hujus gloriosissimi Evangelistæ Marci Templi, quod ill.^{um} Ducum Sacrarium ac Capella exstat, exemptio ut probata jurisdictio clarior & plenius cognoscatur. Ea prout in Annalibus conscripta inveni, singillatim a tempore translationis sacri corporis ipsius Evangelistæ, ob cuius aulam prisci clarissimum Duces de suis propriis bonis prima jactarunt fundamenta, recensebo, & sic propositum meum probabilius apparabit. Igitur commotus, ne tam præclara iura ac magnifica, approbata ac longæva consuetudo deperireat, omnia quæ verissimis fidissimisque annalibus descripta reperi, pro communii utilitate deservientium dictæ Ecclesiæ, sive Illustriss.^{um} Principum Capellæ gloriosi Evangelistæ Marci, adhibita omni moderatione referam.

936) Tempus autem hujus edificationis magnifici Templi, ac ejus immunitatis principium, anno Domini Omnipotentis octingentesimo vigesimo nono cœpisse constat, ex quo Justinianus Particiacus inclitus Dux suo testamento ordinavit, qui suis diebus corpus SS. Evangelistæ Marci promeruerat.

Ædificatio Templi S. Marci.

937) Ergo claret Justinianum disposuisse, quod mortis interventu minime fieri potuit: veruntamen Johannes Particiacus Dux, defuncto dicto Justiniano ejus